Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SVFFOCATIONE EX MVSTO FERMENTANTE

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I NO

GVILIELMO HEINRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
VVESTPHALIAE, ET CETERA

AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO

HERM. FRIDER. TEICHMEYERO

PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE DOCTORE, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET BOTANICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIO, CELSISSIMAE S. R. I. COMITIS DE HATZFELD ET GLEICHEN ARCHIATRO, ET MEDICO PROVINCIALI, NEC NON ACADEMIAE SCIENTIARVM BORVSSINAE SOCIO

PATRONO, PRAECEPTORE ET FAVTORE PIE COLENDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
IVRA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME MORE MAIORVM CONSEQVENDI
PVBLICO ET BENEVOLO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOHANNES CHRISTOPHORVS TANNEBERG

IENENSIS

AD DIEM MAI. MDCC XXVIIII.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

IENAE, EX OFFICINA MVLLERIANA.



CAPVT PRIMVM
DE SVFFOCATIONE IN GENERERE.

§. I.

IN globo terraqueo vitam ducentes creaturas agere in fluido quodam elaſtico ac ponderoſo, quod eas ambit ac premit, aërisque nomen gerit, multa experientia iam dudum comprobatum, et rationibus demonſtratum fuit. Homo, qui in terra degit, etiam ſine aëre vix ad paucula temporis momenta vitam protrahere poteſt. Et ſi eum non in corpus attrahit, animam efflare cogitur, aut minimum ſuas patitur labes, ſi aëris introitus et exitus libere non peragitur, aut fluidi huius mixtura eſt deprauata.

§. II.

MVLTVM enim confert aër ad vitam hominis, quatenus reſpiratione circulus maſſae ſanguineae conſeruatur,

et

et secretiones pariter ac excretiones promouentur. Etenim quando aëreae particulae in inspiratione proprio pondere per nares atque fauces irruunt in pulmonum substantiam, aliquo modo in hisce cauitatibus calefactae, illam extendunt, et vasa sanguifera simul cum cellulosa bronchiorum substantia premunt, ita, vt sanguis ex pulmonibus expellatur. In exspiratione aëreae subtiliores et spirituosiores particulae cum sanguine miscentur, et illum, a peripheria ad centrum reducem factum, ac particulis chyli refertum, reddunt elasticum, fluidum, calidum ac longe rubicundiorem. Nam in motu retrogrado, et per venas tardiori, inspissatur humor sanguineus, ac cum lympha, vna cum spiritibus secreta, maximam partem fit, elasticitatem amittit, ita, vt in pulmonibus nulla opus esse videatur refrigeratione pro temperando sanguinis motu, sed potius, vt sanguini deperditi spiritus iterum communicentur, quod per aëris miscelam optime in pulmonibus perficitur. Aër etiam, calidus iam factus, magisque subtilis redditus, ad omnes pulmonum partes aequaliter impingit, vasa premit, in vesiculas pulmonum irruit, et ita non frigidum sanguinem reddere, aut eius motum reprimere potest. Maxime itaque probabilis potius, secundum fide dignorum Anatomicorum sententiam, est conquassatio, vis sanguinis globulos disgregandi, et a se inuicem separandi, et acceleratus motus sanguinis, ac deinde aëris subtilioris in illum, per vesiculas numerosissimas, et millenos poros, in orificia sanguineorum vasorum, in substantia pulmonum ramificatorum, transitus *. Exemplo enim eorum, qui mortem iamiam expectarunt, constat, quod per follis flatum mitiorem in pulmones nonnullae adhuc circulationes fuerint absolutae, id quod tamen non succederet, si aër inflatus condensaret sanguinem, aut cum ipsa massa non immediate misceretur. Viri etiam experientissimi quidquam infusi aëris, pulmone adhuc calido

exi-

exiftente, in pulmonalem venam tranfiiffe interdum vide- runt. Tentanti hoc experimentum follertisfimo LITTRE ita fuccesfit, vt ad finiftrum cordis ventriculum aër vsque per- uaderet. In echino animaduertit BLASIVS, inflatis pulmo- nibus auriculam cordis finiftram intumuiffe **.

* IOHANNIS BOHNII Circulus anatomic. phyfiologic. progymn. IV, pag. 66, 67.

** IOHANNES FANTONVS, in anatomia corporis humani, tom. I, diff. XIII, de organis refpirationis, pag. 342.

§. III.

HISCE pofitis, corpus recte refpirat, et homo fanum pectus posfidet, quando vero refpirationis negotium aut im- minuitur, aut plane ceffat, primordia ducunt morbi, in fuf- focationem exeuntes. *Suffocatio vero eft ceffatio actionis aëris in pulmones omnimoda, contingens vel ex ipfius aëris, vel viarum aëri- ferarum vitio, fummum mortis periculum inferens.* Si enim aëri non omnis aditus denegatus eft, fuffocatio erit pertime- fcenda; fi vero plane intrare in pulmones aër nequit, fuffocatio iamiam praefens eft, et hominem, nullo hoc o- pinante, iugulat.

§. IV.

CAVSSAE igitur huius mali rimandae veniunt, et quidem ratione ipfius aëris, qui elafticitate vel imminuta, vel aucta fuam vim exferit in animalia, et corpus huma- num. Imminuta enim quando reperitur elaftica aeris po- tentia, vel ex aëris minori copia, vel ex aëre nimis rarefa- cto et fubtili, elater pulmones non extendit ad tantum fpatium, vt posfit fanguinis motus progresfiuus diu con- feruari. Vnde fanguis fua elafticitate vafa expandit, ita, vt ho- mines et animalia intumefcant, et fuffocentur. Videmus tale quid in hypocauftis, intenfisfime calefactis, vbi aër, nimis a ca- lore rarefactus, refpirationem imminuit, et homo diu commo- rari non valet. Homines porro, ex inferiore regione ad cacumen altisfimi montis adfcendentes, fentiunt periculum fuffocatio-

 nis,

nis, nisi spongiam, aqua repletam, secum ducant. Sub campana antliae inclusa animalia, per extractionem aëris intumefacta. viuere desinunt. Et denique ex Neapolitanae cryptae historia adparet, caussam suffocationis animalium, illi iniectorum, et extinctionis candelarum, non aliam esse, quam elastici aëris, ab aethereae materiae excessu expulsi, defectum *.

* IOHANNES FANTONVS in anatomia corporis humani, tom. I, diss. XIII. de organ. respiration. pag. 335.

BERNARDVS CONNOR de antris lethiferis, articul. IV, pag. 35, et 36, articul. IX, pag. 59.

§. V.

VERVM ENIM VERO cum aër ex altera parte varia etiam spicula, prout alia fluida, sua in interstitia recipiat, et grauitas pro harum constitutione fiat maior, et ipsae moleculae sanguini adferantur, sequitur exinde partim nimia in pulmonibus pressio, cum periculo diuulsionis canaliculorum et vesicularum, partim vasorum coarctatio, aut relaxatio, partimque sanguinis coagulum et spissescentia. Quando némpe premens aër superat resistentiam pulmonum et thoracis, sanguis vno impetu quidem expellitur, sed reditus alii sanguini sufficiens non conceditur, quando autem moleculae inferuntur nociuae ipsi sanguini, pro harum vi nocente diuersa varie etiam laeduntur aut pulmones, aut in illis contentum fluidum, vti ex sequentibus patebit.

§. VI.

TALE augmentum potentiae prementis et elasticitatis consistit in aëris qualitate vitiata. Vti enim aër nimium serenus et rarefactus homini Zonae temperatae est offensus: ita etiam noxiis particulis repletus, et sic densus nimium redditus, labem machinae eidem inducit. Transferuntur vero eiusmodi spicula ex terrae gremio, sub vaporum et exhalationum forma, in aërem, vtpote aqueae, terreae, salinae, sulphureae, mercuriales et igneae particulae *, quas ho-

homo femper cum aëre haurit, et illarum efficaciam experiri cogitur.

* FRIEDERICVS HOFFMANNVS in medicin. rational. fyftematic. tom. II, pag. 297.

§. VII.

OMNES hae particulae, per radios folares, aut ignis vim attenuatae, et per aërem diffufae, funt potisfimum vel ex regno vegetabili, vel animali, vel minerali. Quem enim fugit, multos fuffocatione diem fupremum obiiffe in cellis cereuifiae, et mufti fermentantis, in conclauibus, calce viua recenter dealbatis, aut locis claufis, et fumo carbonum adimpletis, in metallifodinis, vbi phaenomenon vocant *den Berg-Schwaden, den Berg-Broden', das Berg-Liecht, den Berg-Geift*, laboratoriis aluminofis, mercurialibus, arfenicalibus, vitriolaceis, cupreis, lithanthracum fornacibus, lithargyrii in officinis, et aliis fodinis fubterraneis, cryptis vaporofis, virulentis et acidis, exhalationibus cloacarum, puteorum, tempeftate fumme frigida, aut in montanis regionibus, multisque lacubus circumdatis. Extra omnem enim dubitationis aleam cum pofitum fit, fumum, magna in copia pulmones irruentem, non folum tusfim excitare, fed etiam hominem denique fuffocare, vti incendia varia produnt triftia exempla; multo magis fumus, ex particulis fulphureis, acidis, falinis conflatus, eiusmodi tragoediam, quamvis tali copia non adfit, ludere poteft. Loquitur enim experientia de carbonum fumo nociuo iam a primis medicinae incunabulis. Exempla enim ROMANORVM, GALENI, COELII AVRELIANI, MEDICORVM ARABVM, EVROPAEORVM, PARISINAE ACADEMIAE, aliorumque recentiorum edita fcripta, teftimonia praebent multa ac horrenda de hocce carbonum fumo. Sufficiat vnum tantum probationis ergo adferre, quod heic Ienae euenit, vbi in tabernula vineae cuiusdam ad noctem ante feftum natiuitatis Saluatoris anni

CIↃ IↃCC XV nonnulli conuenerunt exorcizandi gratia, et cum tempus esset acerrime frigidum, foramina tabernulae occluserunt, et carbones accenderunt, quorum fumus deinde spiritum duobus suppressit, id quod vni ex vigilibus tali etiam modo accidit. Hocce eo citius vero se exserit, quando habitaculum recenter aedificatum, aut nouiter dealbatum est, quod monachum quemdam summum in vitae periculum abripuit *. De iis, quibus cum fossilibus res est, aut qui eorum examen incaute intendunt, innotuit, quod ex fumo virulento metallorum incidant in asthma montanum, saturninum, siue conuulsiuum, *in die Hütten - Katze*, quoniam hic morbus eiusmodi opificibus familiaris habetur **. Arsenici vapores porro cito duos adolescentes e viuis eripuissent, nisi alii, in vicinia strepitum et rumorem exaudientes, illos, fractis foribus, a periculo liberassent, cum in fornace hospitii facto foramine arsenicum figere intenderent. Inde quippe alter epilepsia correptus, a qua vix liberatus, alter vero fere suffocatus deprehensus fuit ***. Quod intra terram naturae lusibus, aut supra illam per artificium ex corporibus subterraneis extrahitur, idem etiam oculis cernimus quibusdam in locis supra terram, vti notum satis est, in diuersis Europae locis, et alibi terrarum, varios reperiri meatus et cauernas, vel arte effossas, vel a natura formatas, ex quibus veneficus vapor emanat, vel aura, Anglice *damp*, quae respirantia ibidem animalia suffocat. Ferales huiusmodi *cryptae* vulgo *Charoneae scrobes* nuncupari solent, quarum diuersae species recenseri possunt. Aliae nempe cauernae vapores acerrimos et sensiles in notabili copia eructant; aliae vero nullam auram, vapores nullos, vel fumos ad sensum emittunt, aut odorem, sed occulta quadam, efficaci tamen, virtute grassantur. Aliae sensim et sine sensu, et non nisi post plures horas, aut dies exstinguunt; aliae vero subito, et in vno horae instanti ad mortem praecipitant.

Aliae

Aliae denique animantia tantum trucidant; sed aliae sunt, quae non animalia solum omnia, sed et accensas faces, et omnes cuiusuis naturae flammas, non sine spectantium stupore, citissime exstinguunt. Inter eas vero scrobes, quae animalia simul et candelas enecant, aliae sunt, quae spisso fumo, aut vapore obscuratae sunt, aliae vero sine vllo prorsus vapore eumdem effectum producunt ****. Harum cauernarum diuersas species Italia nobis offert in primis, vbi notatu dignissima habetur *Neapolitana*, ad sinum Puteolanum, *Grotta di cane* dicta, cui tamen non absimilis ostenditur etiam locus in Germania, circa *acidulas Swalbacenses*, vbi prodigium in pago occurrit, vix decem passuum interuallo a *Brodelbrunnen*, cella, vel crypta quaedam, certo loco et tempore, et ad quandam ab horizonte altitudinem, *nebula* quadam *sulphurea et acida*, indigenae *saure Lufft* vocant, perfusa, qua animalia intra quadrantem horae pereunt *****. Cloaca profunda, et spatii admodum angusti, *Augustae Vindelicorum* cum expurgari curaretur, non solum candela lucem amisit, sed etiam homo quidam, cloacam mundificandi fine immissus, vitam cum morte mutauit. Exempla similia prostant eorum, qui ex fumo candelarum sebacearum, et vaporibus putei vrbis *Rennes* obierunt, quod vltimum *academia* annotauit *Parisina* ******. Frigus tandem, et loca, lacubus adiacentia, homines ad suffocationem praedisponunt, quoniam frigidus aër condensatus aut sanguinem a peripheria ad centrum repellit, propter vasorum extremorum compressionem, vnde respiratio aliquo modo difficilior fit, aut vapores cum aëre premit corpus versus; aut inspiratus frigidus aër per se humores coagulare valet. Humidus vero, paludosus et aquosus aër laxitatem solidorum producit, et viscositate sua volatiles supprimit sanguinis particulas, et ipsum deinde tali aëre conspurcatum reddit viscidum, vnde struma Hispanis ac Alpinis morbus communissimus et inquilinus est* *****.

FRIE-

* FRIEDERICVS HOFFMANNVS in medic. consultat. tom. V, de-cur. III, cas. IV. Et cui collectionem exemplorum horum legere placet, euoluat eiusdem auctoris Gründliche Anweisung, wie ein Mensch vor dem frühzeitigem Todt und allerhand Arten Kranckheiten durch ordentliche Lebens-Art sich bewahren könne, tom. V, pag. 539, et seq.

** RAMAZINI de morbis opificum.

*** Illustris ac beati GEORGII WOLFFGANGI WEDELII diss. de asthmate, pag. 12. item in diss. de arsenico.

**** BERN. CONNOR l. c. artic. I, pag. 5, et 6.

***** IOHANNIS NICOLAI PECHLINI obseruationes physico-medicae, libr. III, obseru. XLIV, pag. 535.

****** HOFFMANN in der gründlichen Anweisung, l. c.

******* IOH. MARIA LANCISIVS de noxiis paludum effluuiis.

§. VIII.

HAEC omnia itaque corpus nostrum nociue adoriuntur. Noxa consistit in aëre nimis denso, et particulis salinis, acidis ac sulphureis scatente, quae in aqueis contentae, omnia absoluunt phaenomena. Sed an hae particulae magis adficiant pulmones, an vero magis in solidas, ac neruosas cerebri partes agant, illas in tono laedant, atque gas sulphureum spiritus vitales et animales sufflaminet, dubium adhuc esse censetur. Verum vbi fluidum quoddam maius spatium, et minorem resistentiam, inuenit, ibi etiam maiori vi intrat, et suos tentat conatus: in pulmonibus autem aër amplius reperit spatium, ac fauces minorem dant resistentiam, quam nares. Qua ex ratione concludendum erit, particulas salino-sulphureas primario agere in pulmones, et postmodum sanguinis circulo, ex respirationis laesione anomalo facto, coagulum fieri in vasis meningum, ita, vt spiritus in negotio, per vasorum distensionem, turbentur et comprimantur. Verum enim est, quando vita tollitur, spiritus etiam debere adfici: hoc vero non fieri primario, ac solum, sed potius secundario, ac per motum sanguinis anomalum, patet exinde, quoniam pulsus adest, in hisce subiectis, durus et tremulus, et metallurgi

ſimul ac offenduntur a tali hoſte, ſibi repraeſentant canem, vel aliud animal, pectori incumbens, et ipſos proſternens. Alii paululum reuiuiſcentes, conqueruntur de dolore lateris ſiniſtri circa diaphragma. Quae nos commonefaciunt, primariam morbi ſedem eſſe organa reſpirationis, vbi non tantum ſpiſſus fodinarum fumus proceſſu temporis bronchiales lobos replet, et grauia inducit ſymptomata, ſed etiam plerumque particulae ſalinae, acidae, vel ſulphureae pulmones peruadunt in ſanguinem, illique paulatim conſiſtentiam craſſiorem conciliant. Conſtat etiam, quod non ſolum denſus, et grauis aer, ſed praeceps irruptio eius in pulmonem inducat grandem moleſtiam, et ſenſum ſuffocatiuum, id quod aperte experimur occurrentes vento vehementer ſpiranti *. Homo ex odore, ipſi inimico, ſi patitur fortisſimum animi deliquium, mori quidem poteſt, ſed non moritur ſuffocatione, quoniam aer tunc temporis non ita impurus exiſtit, vt laedat reſpirationem, ſed adficit ſolummodo improportionate neruos olfactus, vnde liquidi neruei motus oritur irregularis, et cordis aliqualis conſtrictio. Si enim a vaſorum cerebri atonia primario fieret ſuffocatio, prius adficerentur forſitan vicina membra quam pulmones. Inſpectiones demum manifeſtant ſuffocatorum mortis modum, vbi dextra cordis auricula, et vaſa ſanguifera a ſanguine ſtagnante ſunt diſtenta, propter reſpirationis finem, quae deinde ſpiritus, et genus neruoſum coadficiunt. Tota itaque res in eo verſatur, ſi aer improportionatus, et ad reſpirationem ineptus, intrat pulmones, illi non poſſunt reſiſtere, ac fluidum expellere, aer vero ab extra preſſus, veſiculas pulmonum aereas obſtruit, et reliquum bonum aerem, ad porulos adpellentem, remouet **; aut ſi acerrimis ſalinis particulis abundat, qualis datur in metallifodinis, vbi ſpiritus quidam acidus metalla disiungit et mutat ***, intrat quidem ab initio per extremitates bronchiorum, ſed vaſa

 poſtea

poſtea coarctat, et ſanguinem viſcidum reddit, ita, vt veſiculae pulmonum interdum arenulis infarciantur; aut ſi aer eſt aquoſo-terreſtris, vaſorum pulmonalium ac faucium tonum deſtruit, ita, vt fiat exinde coagulum humorum.

* IOHANNES FANTONVS, in anatom. corp. human. l. c. pag. 334. CONNOR, libr. citat. artic. XI, pag. 79.

** Idem auctor, l. c. artic. III, pag. 32, et artic. VIII, p. 55.

*** Idem, l. c. artic. II, pag. 12.

§. IX.

Aliae poſtmodum abolitae reſpirationis, ſeu ſuffocationis, plus minus imminentis, dantur, praeter aëris vitia, cauſſae, quae viam, quam aër munit, et iter, quod adfectat, praecludere valent. Hocce vero peragunt vel eſſentialiter in locum reſpirationis ipſum ſaeuientes, vel per conſenſum, quando alio in loco cauſa morbifica habitans genus neruoſum per pulmones adficit. Eſſentiales reſpirationis cauſſae ex duplici potiſſimum hauriendae ſunt fonte, quatenus reſpiratio, ſeu aëris admiſſio et reciprocatio tollitur * vel

Primo vitio viarum, aerem non transmittentium, vt oris, naſus, palati, gulae et laryngis. Qua ex re ſuffocationem minantur, et deinde producunt oris occluſio, aut contorſio, naturae errore facta, polypus natium, vbi caro fungoſa, nimis excreſcens, non tantum nares obſtruit, ſed interdum quaedam crura in fauces protendit. Columella laxior longiorque euadens, quando in fauces et oeſophagi caput illabitur, titillatione moleſta, qua qui adficitur, hanc perpetuo vorare fruſtra contendit, metuitque, ne eius impetu ſtranguletur, quae ſi inflammatur, in fauces illapſa, maiore taedio, quam relaxata, ſuffocationis metum concitat **. Tonſillae inflammatae, ardore, dolore et ſiti infeſtatae, aut harum inflammatio in abſceſſum degenerans, et vlcus ſordidum ac foetidum relinquens, aut harum induratio, et in ſcrophulas, ſcirrhoſosque tumores mutatio, ſuffocationem gignunt. Angina eſt periculoſa, cynanche vero

ro omnium periculosissima, quia musculorum internorum laryngis inflammatio meatum magis praecludit, et intra vnum diem, plerumque intra quartum iugulat, vbi interdum etiam aegrum sublatum vidimus horis octodecim, constante mente, integrisque sensibus; angina non numquam prouenit a lue venerea, quod exemplo probatur rustici cuiusdam, qui ex recidiua luis venereae incidit in anginam, quae illum breui iugulauit tempore ***. Strumae quando non solum multiplicantur, sed in molem excrescunt, aut intrinsecus in collo producuntur, adeoque aliquando iugulum occupant, tunc suffocationis periculum instat, et patientes diem obeunt supremum per suffocationem, vti a bronchocele, in primis, si vasa ita sunt distensa, vt curationem non admittant, aut harum compressio, asperae arteriae illata, illam colli vertebris adprimat ****. Omnes idcirco hi morbi non sunt contemtui habendi, cum glottidis constrictio, diutius durans, suffocando mortem ipsam accersere queat. Obseruatae enim sunt in virili cadauere vlcerosae arytænoides, earumque crassities ita adaucta, vt angustissimus meatus aegro difficillime, qui dudum sic vixerat, respiranti superfuerit *****.

Secvndo oritur suffocatio vel vitio thoracis, vel pulmonum, male constitutorum, et aerem extrinsecus irrumpentem non admittentium. Hocce vero vitium consistit vel in parietibus, vel in ipsa pulmonum substantia, vel in sanguinis constitutione. Has ob rationes omnes pulmonum adfectus suffocationem procreare valent, in primis vero asthma, quod licet morbus sit chronicus, tamen paroxysmos habet acutos, ob loci mobilitatem, quo grauiter adfecto homo diu viuere nequit, vnde infantes suffocat, senes extra curationis spem sunt, et iuuenes interdum adhibita omni curationis industria difficulter curantur, plures tamen nullo modo, sed non raro cachexia, vel hydrope cor-

ripiuntur. Orthopnoea reliquis respirationis morbis grauior est, et saepe grauium paroxysmorum insultu suos suffocat aegrotos. Orthopnoea enim ingrauescente, lentus humor in grandinem concrescit, atque haec tandem in veros calculos, et haec quidem aliis sine dyspnoea, aliis cum suspiriosa orthopnoea obtingunt, qua cum qui conflictantur, vehementi angustia pressi, prope suffocantur *****. Supremus gradus horum morborum nomen gerit catarrhi suffocatiui, quoniam paucis horis vel per infarctum pulmonum ex sanguinis abundantia et turgescentia, vel per viscidum, acidum, coagulatum et inspissatum sanguinem aegrum suffocatione mori iubet: vti et hydrops pectoris ac pulmonum per lymphae infarctum ac stasin, peripneumonia et pleuritis per vasorum vel pulmonalium, vel tunicae pleurae inflammationem, phthisis, et vomica pulmonum per vlcus apertum, aut peculiari tunica inclusum homines eodem modo, vt antecedentes morbi, tollunt ******. Quando ad postremum totum corpus reperitur succulentum, et quidem vltra modum, ita, vt corpulentia nimia laboret, sunt eiuscemodi subiecta ad motum tardiora, vtplurimum de difficili respiratione conqueruntur, et anhelosa deprehenduntur, vti plura prostant exempla, et quidem primo ciuis quidam Hanouiensis anno aetatis XLVI pinguedine suffocatus est, deinde aulae magister Schaumburgicus, Naurath dictus, anno XLVII aetatis apoplexia, a corpulentia nimia nata, subito defunctus dicitur. Expositi enim sunt eiusmodi homines crassi catarrho suffocatiuo, paralysi, apoplexiae, hydropi, et infantes praeprimis non solum a pinguedine incidunt in conuulsiones, sed etiam suffocantur interdum *******.

* MICHAEL ETTMVLLER, in oper. tom. II, part. I, colleg. practic. sect. XIV, pag. 189.

** IOHANNES FERNELIVS, libr. V. de partium morbis, et symptomatibus pathologiae, cap. IX, pag. 104.

CARO-

*** CAROLVS MVSITANVS, in trutin. medic. libr. I, pag. 243.
FERNELIVS, l. c. pag. 105, et 245.
**** MVSITANVS, l. c. pag. 209, 220.
IOHANNES DOLAEVS, in encyclopaedia chirurgica rationali, libr. II, cap. II, pag. 254.
***** IOHANNES FANTONVS, in anatomia corporis humani, part. I, diff. XIII, de organ. respiration. pag. 322.
****** MVSITANVS, in trutina medica, libr. II, pag. 379.
FERNELIVS, l. c. libr. V, pag. 106.
DOLAEVS, in encyclopoed. medic. libr. II, pag. 135, & 138.
******* Magnificus dominus PRAESES, diff. de hydrope pectoris, §. XIV.
MVSITANVS, in trutin. medic. libr. II, pag. 390.
FERNELIVS de morbis part. libr. V, pag. 108, 113, 114.
DOLAEVS, in encyclopaed. medic. dogmatica, libr. II, pag. 160.
******** DOLAEVS, in encyclopaed. chirurgic. rational. libr. V, cap. I, pag. 469, 471.
CHRISTIANI LVDOVICI WVCHERERS diff. de corpulentia nimia, §. XVI.

§. X.

TERTIVM suffocationis genus maximam partem dependet a vitio musculorum et neruorum, ad respirationis negotium requisitorum, thoracem, et consequenter pulmones et alias partes non legitime dilatantium ac mouentium, et ita aerem non sufficienter repellentium. Quando hoc in corpore deprehenditur, morbi essentia etiam in alia parte delitescens, suffocationis malum edere valet, quoniam genus neruosum in toto corpore connexum est, et musculi adfecti neruos etiam in consensum trahunt. Nam quando spirituum animalium motus est imminutus aut impeditus, cessat etiam partium actio, et debitum subire munus nequeunt, vnde apoplectici ob denegatum spirituum motum, et paralytici ex resolutione neruorum semper aliquid cum suffocatione constitutum habent. Ex conuulsione contra, spasmo musculorum et neruorum, laryngem, pulmones ac diaphragma mouentium, imminet suffocatio, larynx stringitur, et epiglottis clauditur in variis morbis. Hac ex caussa car-

cardialgia eſt magna quaedam circa praecordia anxietas, cum ventriculi dolore grauatiuo et rodente, et ſuffocationis periculo, a ventriculi et diaphragmatis diſtenſione et compresſione, ſaepe a flatulentis vaporibus, exitum non inuenientibus, oborta, quae lethalis, atque miris ſtipata ſymptomatibus, in Conſiliario quodam Naſſouico obſeruata fuit: huic adnecti iure optimo poteſt ſingultus, adfectus periculoſus, qui ab adfecto ventriculi ore, imo a cardialgia proſerpit, ac inſignem fibrarum ventriculi tenſionem et dilatationem fieri denotat, vnde lipothymia timenda eſt. Qui ſingultus porro quando cum aphonia iungitur, pesſimus habetur. Vox enim abolita ſignificat ſingultum a pulmonibus excitari ex neruorum ſextae coniugationis conſenſu, qui eſt in cerebro cum ſtomacho et organo vocis. Confirmant denique dicta cardialgicae ſuffocationes feminarum, ex ſuppresſione menſium et colica haemorrhoidali natae, vbi dicunt: *es wäre, als wenn man ihnen mit zwey Händen etwas zuſammen drückte, daß ihnen der Othem ausbleiben möchte*, et colica haemorrhoidalis, male per pellens decoctum tractata, vbi patiens noctu obdormiſcens anxiis pathematibus colicis, cum ſingultu vehementi, cruciatus, in ſuffocatiua pathemata incidit *. Reliqua in abdomine contenta viſcera ſuffocationi interdum anſam praebent. Vermes enim ſua vellicatione et roſione ſaepe totum genus neruoſum grauiter adficiunt, et ingentes conuulſiones ac ſpaſmos inducunt. Nam filia quatuordecim annorum a vermibus non tantum ingentem colli conſtrictionem, quaſi laqueo iniecto, fauces praecludente, cum imminente ſuffocationis periculo, ſed vtriusque inſuper tum brachii, tum cruris motum conuulſiuum perpeſſa fuit. Praecipuae hydropis ſpecies ſuffocatione finiuntur. Quod ſi enim in anaſarca aquoſus humor in tantam creuerit molem, vt in thoracem penetret, et iam aſperam occupet arteriam, deinde tusſis ſuperueniat, periculum

lum est, ne haud ita multo post homo suffocetur; in ascite respiratio difficilis et crebra et anhelosa est, diaphragmate scilicet in motu impedito; tympaniten semper comitantur haec tria symptomata, dyspnoea, vrinae paucitas, et sitis intensa, et ex hydrope vteri saepe stamina ducit eius suffocatio, estque hydrops vteri difficilis curatu, ob grauissima symptomata, quae secum importat **. Hystericorum porro symptomatum grauissimum est strangulatus. Malum enim, altius in fauces inuadens, eas quasi vinculo constringere, aut manu praecludere videtur, prorsusque spiritum intercipere magno suffocationis metu, mulieres corruunt veluti attonitae, iacent sine motu, sine sensu vllo, respiratione adeo parua et rara, vt interdum nulla esse credatur, tanquam ipsae iam mortuae extinctaeque essent, at nihil ominus pulsus interdum constans, validusque est, interdum obscurus, paruusque, vt ne percipi quidem possit, adeo, vt in paroxysmo cognoscere ante omnia debeamus, an mulier viuat, id quod diuersa probant exempla ***. Haud absimile spectaculum ab hystericis repraesentant hypochondriaci, supremo gradu adfecti. Incidunt enim non solum in asthma, sed plerisque fauces siccitate praecluduntur; sic enim iuuenes studiosi hypochondriaci quandoque maxima suffocatione laborant ****. Vitia denique, quae ad habitum cutaceum deposita, ibi eliminari gestiunt, et morbi exanthematici vocantur, vt scabies, petechiae, morbilli et variolae, quando exitum non acquirunt, aut egressae iam repelluntur, hominis collo ligaturam iniiciunt. De variolis enim liquet, quod eruptio blanda, et constans, sit optima, si vero modo adpareant, modo retrocedant, respiratio difficilior reddatur, aliaque symptomata grauiora adsint: Faucibus vero in primis sunt funestae variolae, in quibus suffocatoria pathemata, atque adeo agrypniam quasi inducunt; omnes enim, qui ex variolis inter-

tereunt, vel ex angina moriuntur, vel suffocantur propter faucium et pulmonum oppletionem, vel alui profluuio, praesertim dysenteria, vel denique conuulsionibus pereunt *****.

* DOLAEVS, in encyclopaed. medic. dogmatic. libr. III, cap. I, pag. 202, 206.

MVSITANVS, in trutin. medic. libr. III, pag. 555, 556.

IOHANNES IVNCKER, in medic. theoretic. practic. tabul. XV, pag. 117.

GEORG. ERNEST. STAHL, in der Abhandlung von der goldnen Ader, pag. 92. Actorum medicorum Berolinensium decadis II volumen IV, pag. 81, et 88.

** HOFFMANN, in medic. rational. systemat. tom. II, part. II, cap. XI, pag. 321.

MVSITANVS, l. c. pag. 687.

DOLAEVS, libr. c. libr. III, pag. 270, 271, et libr. V, cap. I, pag. 480.

*** FERNELIVS de part. morb. et sympt. patholog. libr. V, cap. IX, pag. 201, et in consiliis medicis, consil. LIII, et LIV, pag. 375.

IACOBVS HOLLERIVS, in oper. omnib. practic. libr. prior. de morbis internis, cap. LI, pag. 508.

**** FERNELIVS, l. c. pag. 149.

ETTMVLLER, in oper. tom. II, part. II, colleg. consultator. cas. XVI, pag. 179.

***** Magnificus Vir, IOANNES ADOLPHVS WEDELIVS, in diss. de variolis.

ETTMVLLER, in oper. tom. II, part. I, colleg. practic. section. XIV, pag. 349, 356.

§. XI.

BENE corpus humanum posthac potest esse constitutum, ita, vt neque suffocationis caussa in conspurcato aere, neque in viarum vitio fundata sit, et tamen homini spiritus supprimatur. Per iniurias enim, ab extra illatas, aut aeri introitus adimitur, aut viarum vnitas soluitur, aut illarum spatium coarctatur, aut obstruitur. Nam ii, qui submerguntur ponto, partim interficiuntur propterea, quia non possunt attrahere aerem, partim, quoniam aqua frigida pulmones afficit, vel sanguinem, in iis praesentem, coagulat,

lat, vt suffocati intereant. Alii, quibus vulnus inflictum est, ita, vt vasa iugularia sint dissecta, aut aspera arteria discissa, sanguinis profusione in tracheam suffocantur, quemadmodum, si interdum tumor et inflammatio vulneri superuenit, respiratio intercipitur, et hinc gangraena ac sphacelus ostia pulsat, quae aegrum subito iugulant. Alii, qui laqueo, vel via iuris, vel ex ipsa desperatione e viuis excedunt, vltima soluunt suffocatorum more, ita, vt in illorum pulmonibus sanguis coagulatus, et striae liuidae deprehendantur. In genere quicquid laryngis et epiglottidis motum debitum ac dilatationem impedire potest, suffocationem minatur. Vnde etiam pili, epiglottidi casu inuoluti, res externae, in illam importune illapsae, vt acus, boli, frusta maiora, fungi suffocatorii, strangulationem inferre possunt *.

* IOHANNES CONRADVS BECKER, paradoxo medico-legali de submersorum morte sine pota aqua.

IOHANNES BOHNIVS, examine vulnerum lethalium, diss. de viuis mortuisque aqua submersis, suspensis ac vulneratis.

MVSITANVS, in trutin. chirurgic. physic. tom. III, pag. 268.

RVDOLFF WILHELM CRAVS, diss. de restitutione in vitam suffocatorum laqueo, vel in aqua.

CAPVT SECVNDVM
DE
MVSTI VI SVFFOCANTE.

§. I.

SPECIALE examen meretur mustum, et quomodo hoc vitales vias et respiramina claudere valeat, in hoc paulo adcuratius inquirendum erit, quia de illius vi suffocante, et modo enecandi eruditi adhuc inter se disceptant. Suffocationem, experientia confirmatam, negare tamen non possunt.

Recenti enim in memoria adhuc haerebit casus funestus, qui mense Octobri anni nuper circumacti CIↃIↃCCXXVII. heic Ienae accidit, vbi vir quidam consistentis aetatis, et habitus corporis robusti in cellam, musto fermentante adimpletam, descendit, vt dolia quaedam repleret, qui, trium horarum spatio cum non adscenderet, aliis occasionem praebebat de huius obitu fatali cogitandi, quod illos etiam non fefellit. Nam inuenerunt hominem, vita orbatum, et iacentem in suggestu inter dolia, et quidem apud illud, quod replere annisus erat. Hunc simul ac extraxerunt, viderunt spumam ante os, mucum narium profluentem, totum corpus tumidum, et magnam seriem macularum subfuscarum, in cute sese ostendentem, ita, vt eiusdem generis necem cum suffocatis ex carbonum fumo eum perpessum esse videretur. Eodem tempore ciuis quidam alius cellam, ante dictam, prius ingressum liberandi gratia, intrans mox vitam amisisset, nisi alii periculum incurrenti auxilio fuissent, eumque liberassent, vbi ex ore et naribus extracti sanguis erupit, et deinde saluberrimis medicamentis in integrum restitutus fuit.

§. II.

PRIOR itaque casus a nobis solummodo in examen vocandus erit, in quo suffocatio est aëris actio in pulmones cessans, facta ab aëre, multis particulis acido-sulphureis volatilibus referto, pulmonum vasa constringente, ac sanguinem coagulante. Immediata itaque suffocationis caussa deprehenditur vasorum et vesicularum pulmonalium pressio, constrictio, et massae sanguineae coagulatio, ita, vt pulmones aërem non amplius potuerint expellere, quoniam vis premens fluidi intrantis fortior fuit tono et resistentia pulmonum. Vnde respiratio et conquassatio cessat, circulus sanguinis successiue sistitur, et vltimato in auricula cordis dextra sanguis colligitur et stagnat.

§. III.

§. III.

ILLVD, quod criſpaturam vaſorum, et ſanguinis coagulum efficit, eſt aër, qui particulis, ex muſto expulſis, onuſtus in pulmones irruit, illos expandit, vaſa reſerat, ac ſe cum ſanguine miſcet, et ſuis particulis partim vaſa, partim ipſum fluidum ſanguineum adgreditur, reliquus vero ſubſequens in thoracem preſſus ibi permanet; vnde ſanguis mirum in modum adfectus, tarde mouetur, pulmones nimis expanſi, motum reciprocum praeſtare nequeunt, et ſolidi ac fluidi mutuus impulſus, in quo conſiſtit vita, ab initio imminuitur, in fine vero ceſſare cogitur, ita, vt aegri catarrho ſuffocatiuo ſanguineo intereant.

§. IV.

EIVSCEMODI aëris particulas de acidi natura participare, aut ſulphuris et carbonum fumo ſimiles eſſe, ipſius muſti concretum palam facere videtur. Quando enim cuidam muſtum, in fermentatione conſtitutum, in ſua principia diſſoluere volupe eſt, habet ea cum vino communia, ſpiritum nempe inflammabilem, phlegma, ſal acidum tartareum, et ſulphuream quandam oleoſam ſubſtantiam, quae omnia in vino continentur *. Haecce cum ſeſe non manifeſtent, inuoluta viſcoſitate quadam, per ipſam fermentationem a compedibus liberantur, et illud, quod volatile, aut aliis ſpecifice leuius, inexiſtit, per motum propellitur in aëris interſtitia. Siue dicas gas ſulphureum, ſiue acidum volatile, perinde mihi erit. Nam dulcia in receſſu acida ſunt, in corpus adſumta fermentationem inducunt, valde tenaces et glutinoſos humores reddendo viſcera infarciunt, hepar et lienem obſtruunt, et ad generationem morborum chronicorum multum contribuunt, ac cibis intemperatis et inſalubribus adnumeranda ſunt, propter acidum, in viſcoſo principio contentum, quod peracta chymificatione explicatur, et ſe acidis in ructibus, aut flatibus

C 2 ma-

manifeſtat, cum ſecunda menſa in imbecillo ſtomacho aceſcat, vti mellita, ſaccharata, fructus dulces, et muſta; cum muſti ſapor dulcis, viſcoſitas ac fermentatio particulas prae ſe ferant acidas. Praerequirit ſcilicet fermentatio corpora diuerſi ponderis ac menſurae, quae contenta in fluido cohaerente premuntur, ita, vt grauiora tendant ad centrum, elaſtica vero, et aliis ſpecifice leuiora, aut volatilia in interſtitia fluidi, propter deſcenſum grauiorum ad maiorem leuitatem deducti, penetrent, compresſione paululum ceſſante fluidum pellant, ac vno momento plures ſub vaporum forma auolent. Tale quid etiam ſe offert in muſto, vbi principia in oleoſa ac viſcida ſubſtantia continentur, donec particulae grosſiores tartareae fundum petunt, volatiliores vero, ſulphureae et acidae elaſticae ſuperiora occupant ſpatia, et in auras abeunt, qua fermentatione peracta muſtum mutatur in vinum, quod alium acquirit colorem et ſaporem. Confirmatur adſertum hocce ſequentia per experimenta. Quando nimirum fermentationis tempore dolii orificio ſuperimponitur alembicus, adſcendit ſpiritus volatilis ſulphureae naturae, ſiue gas ſulphureum, quod, vti ſulphur metallifodinarum, et cryptarum vaporoſarum, ſingulare in ſe continet acidum vaporoſum et nociuum. Quando porro muſto iniiciuntur mitiora acria, cum mucilagine iuncta, vt ſaccharum, aut terrea abſorbentia alcalia, vt cornu cerui vſtum, et caput mortuum ſpiritus carminatiui, aut martialia, vt limatura martis, fermentatio oritur, in qua neceſſario acidi pars abundans propelli debet, id quod tamen melius in fermentatione muſti ſine additamento ſuccesſiue peragitur. Vinum enim, et ſpiritus vini poſtea acidum adhuc in decenti quantitate posſident. Muſtum enim clarum ſic arte fermentationem ſubiit. Per chartam bibulam filtratum, hinc ſepoſitum, et altero die pauco ſaccharo addito animatum, primo turbari coepit. Nam quam diu clarum eſt, non fermentat,

tat. Hinc ſuccesſiue bullulae ex imo eleuabantur, ſimiles iis, quae oriri ſolent, quando acidum terreo, vel minerali, vel alcali fixo adfunditur, dum roſio, et mutua actio intercedit. Hinc augeri ſuccesſiue iſtae bullulae, et turbari muſtum coepit, in tantum, vt etiam bullularum copioſisſimarum prouentus et ſuſurrus audiretur. Haec dum fiebant, ſuccesſiue materia quaedam fundum petere, & ſenſim augeri coepit. Interim continuabat quaſi iſta ſtrepitans efferueſcentia, et materia in fundo augebatur, donec pedetontim ceſſarent bullulae, clareſcebat liquor, euaneſcebat ſtrepitus, et, quae obſcurabant liquorem, quaſi diſperſae vndique nubes, ſuccesſiue fundum petere, et viſibiliter gradatim a ſummo ad ima deſcendere, et hinc liquor clarus, perſpicuus, citrinus, ſapore et ceteris proprietatibus vinoſus ſupereſſe coepit. Peracta fuerunt haec ſpatio octo dierum, in hypocauſto, moderate tepido **.

** Magnificus dominus PRAESES, in inſtitutionibus chymiae dogmaticae et experimentalis, part. II, cap. III, pag. 76.

** ETTMVLLER, in operib. tom. I, in tentamin. chymic. tentamin. XVII, pag. 347.

IOHANNES KVNCKEL, in laboratorio chymico, part. IV, cap. IV.

§. V.

EFFECTVS tandem vaporum muſti reſpondet etiam illi, qui eſt ab exhalationibus cauernarum ſubterranearum, et carbonum fumo. Hic ſuffocat homines per ſanguinis ſtaſin, ab acido aëre illatam: Ille ſimile quid praeſtat in cella, muſto fermentante repleta, per particulas volatiles acido ſulphureas. In antris faces exſtinguuntur vel ex defectu aëris elaſtici, vel ex grauitate, condenſatione et presſione nimia: In cellis idem adparet, quoniam aër nimis grauis adeſt. Huius elaſticitatis enim vim clarius probat caſus quidam, Pariſiis praeteriti temporis ſpatio eueniens, vbi induſtrii quidam fortunae clientes, rerum penuria coacti, ad

 artem

artem occultos thesauros detegendi refugerunt. Qui cellam quandam vinariam, in qua reconditum esse thesaurum existimabant, cum ad vsum conducerent, ejus solum effodientes, ab ancilla post aliquot horas operi quasi intenti primo, posteaque surdi obseruati, ac demum a daemone possessi ob auaritiam, palam exclamati sunt. Sed posteaquam populus confluxit, omnes hos fossores in mirabili quodam situ deprehendit vere extinctos. Ille, qui ligone terram effoderat, et socius, qui pala effossam terram remouerat, ambo pedibus stabant, quasi suo quisque operi adfixus. Vxor vnius, quasi ab opere defessa, in scamno sollicito quodam vultu sedebat, inclinato in palmam manus, genibus innitentis, capite. Puerulus laxatis braccis in margine excauatae foueae, defixis in terram oculis, aluum exonerabat. Omnes hi in naturali situ, carneae tanquam statuae, rigidi, apertis oculis, et vultu exanimes stabant. Ratio huius euentus ex loci conditione facile erui potest. Ex hac effossa enim tellure frigidissimus et tenuissimus spiritus, qui exhalauit, eiusmodi fuit naturae, vt totum horum fossorum sanguinem subito peruaserit, eumque ita in ipsis partium musculosarum poris congelauerit, vt fibrae carneae fistulares per totum corpus in motus aequilibrio sint impeditae. Vnde necessum fuit, cum directionis linea eidem horum cadauerum puncto responderet, cui ante eorundem obitum respondebat, quod post mortem in eodem situ et positura perstiterint, qua ante in vita extrema gaudebant *. Quodsi porro instituamus examne subiectorum horum, videmus in vtroque casu, quando statim succurritur, thoracis angustiam, respirationis difficultatem sine malo habito capite, vomitum, mucosa ex naribus et auribus excreta. Aegri a metu suffocationis ita liberati, deinceps facile incidunt in raucedinem, tabem, pleuritidem, peripneumoniam, febres, aliaque similia sympto-

ma-

mata vtplurimum, quia ſanguis et pulmones aliquantum vitiantur. Jungitur aliquando lethargus, vel apoplexia, aut ad ſe redeuntes delirant interdum; non tamen ſtatuendum, hoc eſſe ſignum prius adfecti cerebri, ſed potius ſpiritibus vitalibus, his fumis impraegnatis, et ad cerebrum promotis, ſuperuenire tale ſymptoma, non vero proprium morbum conſtituere, cenſendum eſt**. Remedium porro quoddam clarius nobis ante oculos ponit, acidum ſulphureum principium hoc in caſu in culpa eſſe: fertur enim a nonnullis, quod, cum quatuor homines praefocati fere e loco extracti fuiſſent, & ex hiſce vnus mortuus, tres vero adhuc viui deprehenſi eſſent, hanc ob rem reliqui adſtantes conſilium iniuerint, eiusmodi patientes fimo equino calido vsque ad caput ſepelire. Quod cum duobus ita feciſſent, illos a malo liberatos eſſe, tertium vero, cuius propinqui hocce remedium, ceu turpe, damnaſſent, exſpiraſſe. Hujus itaque phaenomeni nulla videtur alia eſſe ratio, quam, quod aër condenſatus, et particulis acidis ſulphureis mixtus, per calorem fimi equini ſubtilior redditus, et per alcalicas huius particulas acidum, in corpus adſumtum, deſtructum ac expulſum fuerit; pari modo, quo quis titillationem in naribus, ab vſu raphani ruſticani, aut ſeminis ſinapi, cum aceto praeparati excitatam, per panis fermentati odorem ſedare intendit.

* CONNOR de antris lethiferis, artic. II, pag. 15. & 16.

** ETTMVLLER, oper. tom. II, part. I, colleg. practic. ſect. XIV, pag. 191.

§. VI.

SIGNA, ex quibus concludere licet ſuffocationem ex muſto fermentante eſſe praegreſſam, ſunt communia fere cum reliquis ſuffocationis ſpeciebus, & deſumuntur ab ipſa reſpiratione ceſſante, tumore colli et faciei, cum colore rubicundo, ſpuma ante os, exporrectione linguae, muco, e naribus prorumpente, colore cutis ſubliuido, aut maculis

ſubfuſcis

ſubfuſcis, et pulſu ceſſante. Quando autem eiusmodi hominibus in tempore auxilium fertur, ita, vt vita adhuc adſit, reperiuntur ſigna orthopnoeae, vt inſpiratio exſpiratione ſit crebrior, vel tremula, ſtentor, cum ſpuma, ante os, pulſus inaequalis, inordinatus, intermittens et paruus, oculi torui, ſitus erectus, cum pectoris denique anguſtia, dolore et praecordiorum anxietate; ſanguinis enim motus inteſtinus ac vitalis obrutus et impeditus, non vero prorſus abolitus eſt, et motus progreſſiuus valde obſcurus, cumque magna debilitate durat, ita, vt pulſum in carpo non perſentiſcant adſtantes.

§. VII.

De futuro ſtatu imminentis huius ſuffocationis quicquid porro Medicus certi ſibi formare poteſt ratione vitae ac mortis, deſumitur ex gradu et more huius adfectus. Si enim ſigna praecedentia adhuc ſunt mitiora, bona ſperare licet; ſi vero vidit ſymptomata ſenſim ſenſimque fortius vrgere, dubia de ſalute ſpes remanet; ad extrema ventum denique eſt, quando ſpiritus adeſt paruus, frigidus, vix ſenſibilis et tardus, pulſus ex tardo factus nimis creber, et languidus, cum ſyncope. Haec breui vitam tollunt, provt eſt aër, materia morbi, vel in incremento, vel decremento, et provt homo longum temporis per ſpatium in illa vitam egit. Quando vero aliquid ſpei ſupereſt, datur modus, quo vertit natura ſuffocatum ad ſalutem. Homo enim a materia compreſſa, acida, ac coagulum humorum inferente, liberatus, et ex cella extractus, ita, vt vtatur aëre puriori, ſaluatur per vomitus, effluxum ſanguinis, ex ore, naribus et auribus ſponte natura inſtitutum, vbi ſanguis, ad ſuperiores partes propulſus, et vaſa diſtendens, ſalutariter eiicitur, ne horum tonum deſtruat, et ſpirituum animalium fluxum impediat, vomitus vero per conamina naturae viſcidum ſanguinem in pulmonibus conquaſſat, et ſubtiliorem

red-

reddit, ſpirituum motum irritat, ita, vt Medico negotium inde facilitetur, id quod alterum ſupra (§. 1.) allatum exemplum confirmat. Nihil autem horum in ſubiecto ſuffocato ſi videmus, ſigna prolata probe ſunt penſitanda, et medicamenta tunc omne abſoluunt punctum.

CAPVT TERTIVM
DE
CVRA SVFFOCATORVM EX MVSTO FERMENTANTE.

§. I.

VT alimenta ſanis corporibus agricultura, ſic ſanitatem, vti omnibus, ita et hiſce aegris medicina, in tempore propinata, promittit: Nam quando ii, qui animum ad artem curandi adplicuerunt, accerſuntur, et vident naturam adhuc aliquid poſſe, quam maxime horum aegrotantium commodis inſeruire videntur, ſi commode cogitent, quomodo illis ex rationali pathologia deſumtam per curam aliqua ſaltim pars minuatur mali, ſi non ſtatim totum tollere morbum posſint. Horum vero intentio ad ſequentia directa debet eſſe momenta. Nimirum quoniam in ipſo paroxyſmo nonnulla ſemper vrgent ſymptomata; iſtis erit medendum remediis contrariis, ſiue ſint apoplectica, ſiue lipothymica, in quibus tamen aetati et ſexui aliquid dandum, et temperamentum, quantum fieri poteſt, indagandum eſt. Poſtea cum ſanguinis adſit in pulmonibus coagulum, ab infarctu bronchiorum, et coarctatione vaſorum inductum, quod comprimit plexus neruorum pneumonicos; etiam id debet reſolui, a veſiculis et ſubſtantia pulmonum abduci, et aequilibrium motus ſanguinis, ſiue circulus iſtius, reſtitui. Acidum porro, aut gas muſti ſulphureum, quod con-

D ſtrin-

ſtringit et criſpat veſiculas pulmonales, amouere, vaſa con-tracta relaxare, et ſpaſmum corrigere, Medicum oportet.

§. II.

HISCE igitur de causſis Medicus, ſimul ac huic malo ſuccumbentem vidit, munere ſuo recte fungitur, ſi ſtatim ſanguinem mittere ſemel, vel bis, pro conditione ſubiecti, et cum apertura ſatis magna iubet, et hoc vel ventilandi, vel deriuandi fine. Poſtea adhiberi poſſunt, quam diu aeger in paroxyſmo iacet, excitantia, vt ex chirurgicis cucurbitulae maiores, vertici, dorſo, et artubus, magna cum flamma, appoſitae, vel ſine, vel cum ſcarificatione, porro linimenta ſpirituoſa, frictiones ſiccae, et cum ſpiritibus, fotus calidi in brachiis, pedibus, et regione thoracis. Simili modo naribus et ori porriguntur ſpiritus vrinoſi volatiles, vt ∾ ⊖ ✱ci vinoſus, cornu cerui ſuccinatus, lilior. conuall. vrinoſus, meliſſ. ror. marin. lauendulae, aquae apoplecticae, et aquae, cum vino deſtillatae, ſalia volatilia oleoſa, &c. Potiones fieri poſſunt ex liquor. cornu cerui ſuccinat. intermixto balſamo aliquo vitae, elixirio vitae Matthioli, Spiritu ſalis ✱ci aniſato, ſaſſafrato, cum aqua florum tiliae, ceraſorum nigrorum, cornu cerui citrata. Clyſteres reuellentes adplicantur ex rad. helen. bryon. cyclamin. herba marrub. alb. hyſſop. cerefol. fol. ſenn. cum aqua ſimplici, quibus deinde colatis additur oxymel ſcillitic. cum ſale gemmae. Laudatur a nonnullis, ſi antecedentia voluntati Medici non reſpondeant, inflatio aëris per os, aut nares per follem, quod tamen vt fiat caute, neceſſe eſt. Tali enim modo aër inflatus ſerenus impurum extrudit, et cum ſanguine mixtus, illum iterum elaſticum, ſecundum eorum opinionem, reddit. In ſumma, profunt remedia in paroxyſmo apople-

ctica,

ctica, neruina et cordialia, quae ratione sexus cum vterinis, castorinis, succinatis, ex asa foetida paratis, anthophyllis, galbano, va vitae mulierum, et ceteris miscentur. Vitentur tamen maximo studio opiata et narcotica.

§. III.

AEGER quando hisce medicaminibus aliquo modo subleuatus est, vt respirare liberius incipiat, et aliquid deglutire valeat, tunc in vsum vocanda pro resoluendo sanguine sunt diluentia et humectantia, diaphoretica, diuretica, bezoardica cum mitioribus bechicis commixta; qualia sunt ex alimentis iuscula ex brodio carnium, potus theé, decoctum auenaceum, hordei cum cornu cerui et scorzonera, rad. glyzyrrhizae, polypodii, foeniculi, tussilaginis, angelicae, carlinae, contraieruae, gentianae, helenii, chinae, ir. Florentinae; herba hyssopi, cerefolii, costae, tussilaginis, bellidis, botryos, veronicae, pilosellae, pulmonariae, trifolii fibrin. scordii, cum caric. ping. dactilis siliqua dulci semine anisi simplici et stellato. Cum eiusmodi decoctis, infusis et iusculis dantur commode pulueres resoluentes et pectorales, vt puluis pectoral. resoluens et balsamicus Wed. vel per se, vel cum pulvere bezoardico Sennerti, Wed. et Dom. Præsidis, specifico cephalico, epileptico March. cum elaeosacchar. anisi, citri, cinnamomi, confectione alkermes completa, vel incompleta, provt aeger odorata fragrantia magis, vel minus ferre poterit. Ex liquidis concentratis in hoc casu optima sunt Elixiria pectoralia, vt Wedelii, Elixiria vitae, vt Owerkampii, et le Mortii, quae confortant, quo referri debent Emulsiones confortantes, morsuli confortantes. Emollientia et anti-spasmadica, extus pectori applicata, coarctationem thoracis, et vesicularum pul-

monalium crispaturam corrigunt, qualia sunt linimenta in primis, et unguenta, ex oleo amygdalarum dulcium, cum spermate ceti, ol. chamomillae, anethino, cheirino, castorino, unguento de althea, potabili rubro, pectorali, cum oleo destillato anisi, foeniculi, anthos, menthae, item Sacculi et fotus calidi.

§. IV.

VITAE genus denique medicamentis respondere debet. Aer enim, in quo degit aeger, esto serenus, purus et temperate calidus. Nocet namque nebulosus, pluuiosus, vel acidis sulphureis particulis impraegnatus. Victus sit tenuis, et vitentur omnes cibi acidi, saliti, acres, potus frigidus, animi pathemata, suspiria, anxietas, moestitia et terror, tanquam maximi coagulatores, et acidi auctores, ita, vt animus, cum corpore, quietus et placatus permaneat, cum quies corporis moderata arrideat, et omnia, quae acidum supprimunt, in hoc malo optatum dent finem.

